

**ANIMADVERSIONES QUAEDAM RELATE
AD ALLOCUTIONEM
IOANNIS PAULI II
AD ROMANAM ROTAM
DIEI 25 IANUARIII 1988**

SUMMARIUM: Momentum materiae (i.e. nullitatis matrimonii ob causas psychicas) evincitur ex iterata consideratione eidem quaestioni a Ioanne Paulo II praestita in Allocutione ad Auditores R. Rotae diei 25.I.1988 post animadversiones iam propositas antecedenti anno. Auctor in lucem ponit elementa sive confirmatoria sive nova quibus hac in difficili materia S. Pontifex auxilium auctoritativum praebet Tribunalibus in administranda iustitia canonica. Officium Defensoris vinculi consideratur in contextu quaestionis rectae et christianae visionis naturae humanae, qua dialogus inter iuris peritos et psychiatras et psychologos regi debet. In hac integratione facienda S. Pontifex considerat praepriis conceptum normalitatis sive in campo psychologico sive in campo canonico, dein criteria praebet circa aestimationem canonicam pathologiae psychicae et tandem consecutaria trahit circa specificum officium Defensoris vinculi in causis nullitatis matrimonii. Pro unaquaque parte Allocutionis auctor considerat pretiositatem sive methodologicam sive substantialem considerationum S. Pontificis, quarum momentum evidens est, praesertim si integrantur cum Allocutione antecedentis anni.

Ex eo quod Ioannes Paulus II, uti ipse apertis verbis in n. 2 suae Allocutionis diei 25 ianuarii 1988 declarat, iterum quaestionem circa incapacitates psychicas in processibus matrimonialibus pertractat post considerationes iam propositas de eadem materia antecedenti anno, iam optime in lucem ponitur momentum eiusdem quaestionis in Tribunalibus ecclesiasticis iuxta mentem Pontificis.

Allocutio anni 1988 non tantummodo antecedentes considerationes confirmat, sed profundius eandem materiam explorat atque clarificat.

Quaestio pertractatur relate ad officium et functionem Defensoris vinculi (D.V.) in processibus canonicis nullitatis matrimonii; sed electio haec non est considerata casualis quia in antecedenti Allocutione Joannes Paulus II lamentabatur immoderatum numerum declarationum nullitatis ob psychicam incapacitatem in quibusdam regionibus, atque indicabat probabile vitium argumentationum sententiarum harum in haud recta et cum christiana visione naturae humanae conciliabili anthropologia implicita in peritiis circa condicionem psychicam contrahentium. Sermo de munere Defensoris vinculi logice fluit ex ipsa ratione vigilandi contra pericula deceptionis in favorem nullitatis matrimonii, quia pertinet ad officium vinculi Defensoris «proponendi et exponendi omnia quae rationabiliter adduci possunt adversus nullitatem» (can. 1432). Si, uti elucet ex Allocutione antecedentis anni, S. Pontifex putat in causis de incapacitate psychica praestandi consensus errores et confusiones adesse, tunc peropportuna videtur consideratio una cum incrementatione functionis Defensoris vinculi, ne concedantur nullitates contra rei veritatem.

Structura Allocutionis: quasi uti praemissa indicatur specificum officium D.V., distinctum a ceteris intervenientibus in processu canonico (nn. 2, 3); in sequentibus tribus partibus S. Pontifex tractat: de notione normalitatis in campo canonico tenenda (I, nn. 4, 5); de canonica aestimatione pathologiae psychicae (II, nn. 6-9); de consecrariis pro D.V. (III, nn. 10-14).

PRAEMISSA

Pretiosae videntur mihi indicationes Ioannis Pauli II circa munus specificum D.V., quia haud raras sunt incertitudines et fluctuationes sive in doctrina sive in iurisprudencia. Iuxta mentem Pontificis, D.V. cum ceteris intervenientibus in processu canonico collaborat ut veritas obiectiva plene in lucem veniat uti fructus eiusdem processus canonici. Quod est contra illam falsam interpretationem officii D.V. iuxta quam legitima esset «artificialis defensio» vinculi sine cura fundamenti eius assertionum (n. 2). Si, tamen, finis officii D.V. idem est ac pro ceteris, via seu modus actuationis diversus est et specificus sui muneris: Defensoris V. proprium est officium «proponendi et exponendi omnia quae rationabiliter adduci possunt adversus nullitatem», uti sonat can. 1432. Hic modus agendi concurrit ad illum finem assequendum, quia sinit ut habeatur illa dialectica processualis quae est anima processus, ex eo quod veritas rerum aptius in lucem venit ex confrontatione inter oppositas rationes. S. Pontifex mentionem facit de periculo iam indicato in Allocutione anni 1982, circa «minutionem» muneris D.V., atque admonet de obligatione plene eius officium adimplendi (quod non est facultativum) ut recta in Ecclesia iustitia administrari possit.

Gressus subsequens consistit in indicanda necessitate illius plenae realizationis officii D.V. in causis perdifficilibus quae vertunt circa psychicam incapacitatem contrahentium (n. 3). Ioannes Paulus II illustrat modo originali hoc officium specificum D.V., quia demonstrat his in adiunctis Defensorem V. non tantummodo concurrere ut «facta et significationes explicantur», sed etiam suam operam praestare uti

«praesidium visionis christianae circa naturam humanam et circa matrimonium» (n. 3).

Officium D.V. ergo, iuxta mentem Pontificis, praeter functionem dialecticam in confrontandis argumentis partium, functionem quoque absolvit proponendi iudici rectam anthropologiam uti necessarium contextum in quo omnia elementa processualia includenda sunt, ne errores vel saltem confusiones oriantur in definienda sententia.

Pars I

Hac in prima parte Ioannes Paulus II explicat et perficit notiones iam in antecedenti Allocutione expositas circa naturam humanam necnon matrimonium. Progressus praesentis sermonis consistit in comparatione inter categorias psychologicas et psychiatricas ex una parte, et categorias canonicas ex altera parte iuxta integratam anthropologiam christianam.

S. Pontifex praeprimis indicationem methodologicam praebet relate ad notionem normalitatis: «quaecumque sit definitio a scientiis psychologicis et psychiatricis, eadem semper aestimanda est iuxta conceptus christianae anthropologiae, qui regunt scientiam canonicam» (n. 4). Agitur de principio methodologico congruenti cum logica interna Allocutionis 1987, cuius momentum oportet confirmare: Ioannes Paulus II his in postremis Allocutionibus antea praebet et postea usum facit de recta methodo servanda in dialogo interdisciplinari: eius conclusiones, itaque, semper gaudent fundamento non tantummodo ex auctoritate legitima sed etiam ex firmitate rationis profluente.

Ioannes Paulus II ingreditur categorias psychologicas et psychiatricas cum in lucem ponit periculum

confundendi rectam authonomiam scientiarum cum exclusionem notionum quae excedunt fines competentiae scientiarum humanarum. Sine dubio S. Pontifex haud requirit ut scientiae humanae sua methodo empirico-inductiva investigent circa quod terrenam realitatem excedit, sed, servata legitima authonomia scientiarum, contendit necessitatem ex parte earumdem scientiarum admittendi illum «conceptum integram personae, cum eius aeterna dimensione atque cum vocatione erga valores transcendentis indolis religiosae et moralis» (n. 4). Aliis verbis, sine negatione validitatis dimensionis normalitatis-pathologiae in campo scientifico, Ioannes Paulus II affirmat hanc categoriam esse insufficientem ad aestimandam personam contrahentis circa capacitatem respondendi illi vocationi ad matrimonium. Et si parabolam evangelicam volumus accipere, obvium est scientias humanas nihil dicere posse de semine, seu de verbo vocante, sed posse investigare circa terrenum ubi idem semen accipitur et crescit. Tamen, cum periti de hoc terreno investigant, oportet ut admittant idem terrenum idoneum esse ad semen recipiendum quod excedit realitatem immanentem ita ut, cum terrenum aestimant ex. gr. circa idoneitatem ad matrimonium, considerent etiam valores transcendentis et theocentricos, secus eadem aestimatio erit inadeguata ad quaestionem canonicam quod attinet. Ioannes Paulus II in n. 5 suae Allocutionis indicat elementa quae periti oportet ut includant in aestimandis personis: agitur de visione integrali personae iuxta notionem «hominis historice existentis» in qua locum habent:

— originalis vocatio hominis ad aeternam salutem iuxta valores autotranscendentis et theocentricos;

— intrinseca vulnerabilitas «ob defensiones et

difficultates quas homo invenit in sua vita existenciali sive in vita conscia, ubi agitur de morali responsabilitate, sive in vita inconscia, quod valet et pro vita psychica ordinaria et pro vita psychica ubi dantur leves vel moderatae anomaliae psychicae quae tamen minime influunt substantialiter in libertatem personae tendendi ad idealia transcendentia libere electa» (n. 5).

Bene hic patefit concordantia cum Allocutione antecedentis anni circa momentum dimensionis subconsciae vitae psychicae ordinariae quae distinguenda est a fragilitate morali et ab anomalis (All. 1987, n. 7). Ioannes Paulus II apertis verbis affirmat humanam fragilitatem haud pendere solummodo a prava voluntate personarum vel ab anomalis psychicis, sed etiam a difficultatibus psychicis quae obstant plenae effectivae libertati subiecti etiamsi idem subiectum eas ignoret. Quae consideratio naturae humanae est fructus illius «anthropologiae christianae ditatae contributione inventionum etiam recentium in campo psychologico et psychiatrico» (n. 5): agitur de anthropologia integrata seu interdisciplinari.

Ioannes Paulus II duos ultiores facit gressus: demonstrat hanc anthropologiam integratam concordare posse cum Revelatione et dein conclusiones trahit in campo canonico.

Relate ad compatibilitatem inter Revelationem et realitatem psychicam hominis iuxta tres dimensiones (i.e. dimensionem consciam, dimensionem subconsciam et dimensionem psychopathologiae), S. Pontifex mentionem facit de epistula ad Galatas in capitulo 5 ubi S. Paulus loquitur de homine diviso inter Spiritum et carnem sed vocato ad vitam iuxta Spiritus inspirationem (Gal. 5, 16). Ioannes Paulus II citat quoque Gal. 5, 17 ubi S. Paulus loquitur de

oppositione inter Spiritum et carnem quae excedit voluntatem personae et in qua inveniri potest spatium ubi illa dimensio subconscia vitae psychicae ordinariae collocari potest sine damno pro traditionali conceptione naturae humanae. Iuxta hanc possibilem concordantiam dicere possumus vitam subconsciam influxum habere posse in decisiones humanas uti praedispositionem aliquam ad agendum sine damno pro ipsis facultatibus seu capacitatibus volendi; effectus eiusdem influxus sistit in imminutione libertatis effectivae personae sine decremento libertatis essentialis¹. Ex qua argumentatione venit conclusio in campo canonico: «conceptus normalitatis, i.e. normalis condicionis hominis in hoc mundo, includit etiam species moderatas difficultatum psychicarum» (n. 5).

Haec conclusio, quae aliquo modo mira considerari potest, est specifica et propria christianae visionis naturae humanae relate ad alias conceptiones immanentes et deterministicas: si verum est idealia propria huius christianae visionis esse altiora, immo transcendentia et theocentrica, altera ex parte aestimatio hominis existentialis magis positiva est quia creatura humana consideratur iam in suo esse cum Deo Creatore connexa et ab eodem Deo Redemptore adiuvata in debellandis difficultatibus quas invenit homo in sua existentia dummodo ex parte sua creatura humana bona voluntate praedita sit. Illae conceptiones e contra immanentes et deterministicae quae hominem considerant sine ligamine cum Deo ad deificandam ipsam creaturam, fine finaliter ruinant in visionem magis pessimisticam quia concreta existentia hominis

¹ Cf. L.M. RULLA, *Antropologia della vocazione cristiana*, vol. I, Ed. PIEMME, Casale M. 1885, pp. 203-206.

demonstrat innumeras difficultates quae ad realizing valores humanos obstant.

In matrimonio hoc paradoxum consistit in eo quod, etiamsi in visione reductiva naturae humanae significatio unionis coniugalis minus sit difficilis («medium satisfactionis vel auto-realizationis vel reductionis tensionis psychicae» All. 1987, n. 5), eiusdem finis adimpletio maioribus periculis ruinae est subiecta quam in visione christiana ubi significationem positivam habent quoque laboriosa conamina et renunciationes in hac vita una cum spe perfectionis in aevo futuro. In visione reductiva etenim homo, qui creatura imperfecta est, solus consideratur sive in eligendis finibus suae vitae sive in inveniendis auxiliis ad superandas innumeras difficultates internas et externas. In visione christiana e contra non solummodo finis ultimus ponitur ultra vitam terrenam ita ut difficultates et etiam limitationes vitae terrenae non considerentur uti finalis ruina, sed homo in Christo invenit imaginem veri hominis et ex eius Spirito vim trahit ad roborandam suam voluntatem.

Ex his argumentis Iohannes Paulus II concludit hanc primam partem suae Allocutionis mentionem faciens de ligamine inter hanc conceptionem christianam normalitatis cum iure naturali omnium creaturarum contrahendi matrimonium, secus maioriati personarum denegandum esset ius ad matrimonium quia, uti scientiae psychologicae et psychiatricae ipsae affirmant, multi nequeunt in sua vita concreta ad plenam realizationem suorum idealium pervenire².

² Cf. B. KIELY, *Psicologia e teologia morale: linee di convergenza*, Marietti, Torino, 1982, pp. 50-56.

Uti bene elucet ex logica argumentatione Pontificis, habemus integrationem inter visionem revelatam et scientias humanas sine detrimento pro utraque. Ioannes Paulus II haud negat valorem notionis scientificae normalitatis quae tantum considerat valores naturales quia «in severioribus speciebus anomaliae psychicae auferri potest etiam ipsa capacitas subiecti tendendi ad valores in genere»; sed hanc conceptionem integrat cum conceptibus ex integrali visione hominis profluentibus quia tantummodo in pleno contextu etiam singulae partes recte aestimari possunt. Nunc S. Pontifex elementa omnia necessaria habet ad aestimandas etiam anomalias psychicas, uti facit in secunda parte suae Allocutionis.

Pars II

Hac in secunda parte Ioannes Paulus II loquitur de aestimatione canonica psychopathologiae a peritis in scientiis psychiatricis et psychologicis definitae ita ut sermo Allocutionis anni antecedentis confirmetur et perficiatur.

Initium sermonis, uti iam dixi, semper est ordinis methodologici: Ioannes Paulus II duas facit animadversiones circa methodum. Prior vertit circa necessitatem agendi iuxta rectam methodum «in inveniendis speciebus gravioribus psychopathologiae eisdemque distinguendis a speciebus levioribus»: haec operatio facienda est «per methodum scientificè probatam» (n. 6). Altera animadversio vertit circa necessitatem rectae translationis categoriarum ab una ad alteram scientiam ita ut «categoriae ad scientias psychiatricas et psychologicas pertinentes modo automatico in campum canonicum non vertantur sine necessariis adapta-

tionibus quibus uniuscuiusque scientiae specificae competentiae ratio habeatur» (n. 6).

Prioris exigentiae parvi pendunt illae peritiae psychologicae et psychiatricae quae «tantum describunt contrahentium actiones diversis temporibus eorum vitae, ita ut phaenomena abnormia in lucem veniant quae postea iuxta aliquam categoriam diagnosticam classificentur» (n. 7). Haec S. Pontificis animadversio bene perpendenda est quia etiam in recentiori iurisprudencia peritiae iuxta methodum tantummodo descriptivam peractae adhuc videntur frequentes etiam in principalioribus tribunalibus. Substantialis ratio insufficientiae huius analysis tantummodo descriptivae sistit in eo quod descriptio phaenomenorum nihil dicit circa processus et structuras quibus facta manifestantur atque classificantur. Iudici, qui decisionem ferre debet de difficili sed necessaria distinctione inter difficultatem et incapacitatem consensum praestandi, non sufficit ut cognoscat contrahentem esse personam collericam, vel hilarem vel anxiam etc., quia phaenomena haec explicari possunt ex diversis causis praeter illam anomaliam psychicam qua contrahens incapax fit ad valide contrahendum matrimonium.

Ioannes Paulus II explicite affirmat officium Iudicis requirendi ut peritus «ulterius conamen faciat in sua analysi includendi etiam aestimationem causarum et processuum dynamicorum» quia «tantummodo haec analysis totalis subiecti, eiusdem capacitatum se realizandi sufficiens est ut Iudex transire possit in categorias canonicas» (n. 7). Alicuius momenti est haec contributio S. Pontificis circa rectum dialogum interdisciplinarem quia habemus convergentiam plenam inter bonum canonicum et progressum scientificum: multi et crescentes sunt psychologi et psychia-

trae qui hanc profundiorē diagnosim structuralem exigunt et insufficientem considerant etiam in campo scientifico illam analysim tantum descriptivam³.

Eiusdem exigentiae rectae methodi in definienda pathologia psychica parvi pendit quoque illa tendentia iuxta quam non considerantur «omnes posibles rationes ruinae matrimonii cuius requiritur nullitatis declaratio» (n. 8). Hic iterum elucet insufficientia anthropologiae reductivae quae excludit valores auto-transcendentes et theocentricos: sine consideratione valoris quem habere possunt etiam pugna et renunciationes ad superandas difficultates vitae praesentis, facile carentia bonae voluntatis atque omissio usus mediorum tum naturalium tum supernaturalium confundi possunt cum gravi anomalia quae fit causa invaliditatis consensus. Hic error, iuxta mentem Pontificis, facilius fit si peritiae fundantur in «praesupposito iuxta quod tempus praeteritum subiecti non solum auxilio est ad intelligendum tempus praesens, sed necessario praesens determinat» (n. 8): hoc modo Ioannes Paulus II iterum reprobatur praesupposita deterministica multarum scholarum modernarum iuxta quas homo esset creatura tantum reactiva et minime activa ita ut damnata semper esset ad iterandas actiones temporis praeteriti vel ad novas actiones decidendas iuxta praevalentes causas externas temporis praesentis.

Contra alteram exigentiam, i.e. respectandi diversitatem inter categorias scientiarum differentium, inveniri potest illa tendentia quae, etsi non laboret illa exaggeratione in aestimanda pathologia psychica, ta-

³ Cf. D. KERNBERG, *Neurosis, psychosis and borderline States*, in: FREEDMAN KAPLAN and SADOCK, *Comprehensive textbook of Psychiatry*, III, ed. 1980, pp. 1079-1081.

men «indebitam facit aestimationem notionis capacitatis matrimonialis» (n. 9) ita ut idem habeatur error confundendi difficultatem cum incapacitate. Agitur de periculo, iam in antecedenti Allocutione memorato, confundendi maturitatem psychicam cum maturitate canonica.

Uti elucet ex his duabus considerationibus, Ioannes Paulus II tenet principium iam propositum anno antecedenti iuxta quod «vera incapacitas consideranda est tantummodo cum habetur severa species anomaliae, quae, quomodocumque definiatur, semper modo substantiali debet laedere capacitates intelligendi et/aut volendi contrahentis» (n. 7, Allocutionis 1987); hoc principium S. Pontifex nunc perficit et roborat novis argumentis.

Sunt qui videant difficultatem et immo oppositionem inter hoc principium et can. 1095 n. 3, quia canon loquitur de incapacitate assumendi obligationes essentielles matrimonii «ob causas naturae psychicae» sine mentione de anomalia psychica. Sed difficultas solvi potest sive formaliter sive substantialiter. Formaliter, quia si canon 1095 n. 3 non loquitur de anomalia psychica, verum quoque est canonem 1680 loqui de defectu consensus «propter mentis morbum»: verba Codicis ergo interpretanda sunt sine rigiditate materiali. Sed, quod est maioris momenti, substantialiter difficultas solvi potest si verba can. 1095 n. 3 interpretantur iuxta principium a Pontifice propositum: causa psychica quae personam reddat incapacem assumendi obligationes essentielles matrimonii identificari debet cum illo processu pathologico de quo locutus est Ioannes Paulus II, i.e. cum severa specie anomaliae psychicae. Quae interpretatio non solummodo evitat contradictionem inter Legislatorem et Supremum legis Interpretem, sed logica videtur si

notio causalitatis sumitur non sensu causalitatis efficientis, sed causalitatis formalis, i.e. iuxta rationem qua incapacitas assumendi habetur seu iuxta illos processus psychicos quibus contrahens turbatur in sua capacitate praestandi consensum.

Si e contra, persona sana vel ex recta et profunda analysi psychologica tantum levioribus difficultatibus laborans, consideratur incapax assumendi obligationes essentielles matrimonii, tunc anthropologia christiana non amplius valeret quia verior esset alia visio naturae humanae iuxta quam influxus externus fit elementum determinans decisionem personae quae non gauderet substantiali libertate etiam in ordinariis circumstantiis vitae concreatæ. De hac quaestione saepe citatur casus personae quae haberet habitum contrarium alicui elemento essentiali matrimonii (ex. gr. contra fidelitatem) sine gravi anomalia psychica ad demonstrandam fidelitatem, sed, sine gravi anomalia psychica, haud consideranda est incapacitatem assumendi obligationes essentielles.

Cui obiectioni respondendum est negando conclusionem, quia habitus contra fidelitatem influit non directe in capacitatem volendi, sed in praedispositionem ad aliquid volendum ita ut habeatur reductio libertatis effectivae sine damno pro libertate essentiali. Aliis verbis, persona habitudinaria difficultatem habet maiorem ad assumendam et observandam fidelitatem; sed, sine gravi anomalia psychica, haud consideranda est incapax observandi hanc obligationem. Et si accidit ut eadem persona post nuptias non sit fidelis, minime concludi potest pro incapacitate, quia, uti affirmavit Ioannes Paulus II in Allocutione 1987, factum naufragii per se numquam probat incapacitatem contrahentium, quia dantur aliae posibles causas eiusdem naufragii (n. 7). Conversio personae

sanae possibilis est in actu, etiamsi possibilia sint ulteriora peccata, quae tamen non pendent ex eius incapacitate sed ex humana fragilitate: si habitus ad infidelitatem in persona sana consideratur causa incapacitatis assumendi obligationem matrimonialem, tunc per analogiam absolutio poenitentialis quoque deneganda esset quia inutilis pro persona incapace observandi propositum sese emendandi. Si persona sana bona voluntate est praedita et utitur mediis sive naturalibus sive supernaturalibus potest vitare iterationem sui habitus quia gratia divina ordinaria corroborat humanam fragilitatem.

Nec igitur causae externae nec habitus interni sine gravi anomalia psychica reddere possunt personam incapacem praestandi validum consensum. Addendum mihi videtur verba Pontificis circa «capacitatem intendendi et/aut volendi contrahentis» interpretanda esse non solum relate ad actum consensus sed etiam ad obiectum consensus: aliis verbis, illa verba includunt quoque n. 3 can. 1095, cuius categoriae imperfectae interpretandae sunt iuxta anthropologiam integratam et non viceversa.

Pars III

In tertia parte Ioannes Paulus II considerationes generales circa dialogum inter canonistas et peritos in scientiis humanis applicat ad officium specificum Defensoris vinculi; quae applicatio ulterior est gressus ad recte iustitiam administrandam in processibus canonicis.

Hic S. Pontifex iterat initialem considerationem circa necessitatem ex parte D.V. possidendi «adequatam visionem anthropologicam normalitatis, ita ut cum eadem confrontare possit exitus peritiarum» (n. 10). Hoc in officio D.V. fit primus et pretiosus Iudicis

collaborator, qui, cum officium amplius habeat et acta processualia in fine discussionis consideret, non semper immediate et penitus potest intelligere implicationes anthropologicas, saepe implicitas, in peritiis contentas. Sine dubio, igitur, praevia analysis critica ex parte D.V. perutilis iudici videtur et immo necessaria et lege canonica praescripta. Quae analysis, iuxta verba Pontificis, vertere debet sive circa methodum peritiae sive circa inevitabiles praemissas anthropologicas quibus eadem peritia conficitur, sine oblivione tamen peculiaris competentiae D.V. qui «intra limites suae competentiae specifica canonicae permanere debet, sine competitione cum perito nec conamine illum substituendi circa meritum quaestionis psychologicae vel psychiatricae» (n. 12).

Et relate ad methodum Ioannes Paulus II admonet «ne admittantur uti validum fundamentum diagnosis peritiae probatione scientifica haud innixae vel restrictae ad signa tantum abnormalitatis sine necessaria analysi existentiali contrahentis in eius integrali dimensione» (n. 11). Haec monitio per opportuna mihi videtur quia etiam sine specifica competentia in campo psychologico et psychiatrico potest canonista decernere de soliditate peritiae: si tantum phaenomena describuntur et immediate peritus suas trahit conclusiones sine analysi processuum dynamicorum cum mentione de structura atque organizatione ipsarum structurarum psychicarum, tunc bene apparet insufficientia methodologica quae obstat ad acquirendam necessariam certitudinem moralem in iudice. Hic intuitus ex parte canonistae corroborandus est non tantum experientia sed etiam adequatis notionibus methodologicis tempore formationis iuris peritorum acquirendis; meo iudicio, valde utilior esset pro alumnis canonistis sermo circa methodum interdisciplina-

rem quam superficiales et genericae notiones in materia psychologica et psychiatrica quas alumni in sua formatione nunc saepe audiunt.

Ioannes Paulus II iterum circa methodum mentionem facit de necessitate relate ad peritum ponendi quaestiones claro modo et pertinenti, eius competentiam observandi, eique vitandi quaestiones in materia canonica (n. 12). Pertinet etenim ad iuris peritum gressum facere a peritia psychologica vel psychiatrica ad categorias canonicas post illam crisim anthropologicam et methodologicam de qua locuti sumus. Et si praemissae anthropologicae sunt compatibles cum visione christiana naturae humanae et matrimonii atque methodum scientificam rectam tenuit peritus, tunc canonista nequit recusare peritiam circa meritum nisi manifeste fundetur elementis extrinsecis falsis.

Cum Ioannes Paulus II loquitur de quaestione anthropologica, alias pretiosas considerationes facit circa functionem D.V.:

— si D.V. fideliter suum officium adimplet, «auxilium praebet ne tensiones et difficultates inevitabiliter cum electione et realizatione idealium matrimonialium connexae confundantur cum signis gravis pathologiae» (n. 10): agitur de mentione circa necessaria morali tensione, in qua etiam pugnae, sacrificia et renunciationes positivam habere possunt significationem tantum in visione christiana quia in ceteris visionibus immanentibus et reductivis sensum non habent et ergo cum signis pathologicis confundi possunt;

— pertinet quoque ad officium D.V. invigilandi ne «dimensio subconscia vitae psychicae ordinariae interpretetur uti condicio qua substantialis libertas personae aufertur» (n. 10): hic Ioannes Paulus II videtur recipere contributionem psychologiae moder-

nae sed non modo authomatico et acritico quia conclusiones scientificas ponit in contextu integralis visionis hominis una cum confrontatione cum conceptu personalistico libertatis humanae contra pessimisticam visionem freudianam iuxta quam vita subconscia non solum influit in decisiones conscias hominis sed eas determinat sine spatio pro aliis motivationibus quae provenire possunt ex parte rationali et spirituali subiecti;

— admonet quoque Ioannes Paulus II ut D.V. vigilet ne «quaevīs species insatisfactionis et ineptitudinis in evolutione personae aestimetur uti condicio quae necessario destruit capacitatem eligenti et reali- zandi obiectum consensus matrimonialis» (n. 10): momentum huius considerationis Pontificis bene elucet si prae oculis habemus multas peritias ubi ruina matrimonii putatur effectus difficultatum in infantia vel ante nuptias simpliciter ex connexione temporis;

— aliud signum insufficientis anthropologiae indicat Ioannes Paulus II cum loquitur de peritiis in quibus «nihil dicitur de responsabilitate coniugum, neque de eorum erroribus possibilibus in aestimandis rebus... vel media disponibilia ad emendandos errores vel fragilitates non considerantur» (n. 11): iuxta mentem Pontificis tales omissiones in iudice provocare debent timorem circa praevalentiam rationis reductivae in peritia quae considerata est ad unicam conclusionem praedeterminata. Etiam de hac adnotatione dicendum est valde eam esse opportunam quia saepe periti iam in initio analysis tantum unicam considerant possibilitatem, i.e. illam pathologiae personae sine consideratione sive dimensionis responsabilitatis sive dimensionis subconsciae vitae ordinariae.

Ioannes Paulus II addit alias considerationes magis internas ad campum canonicum:

— in momento discussionis causae D.V. debet, uti pertinet ad suum officium, specialem attentionem praestare illis peritiis quae sunt contra vinculum matrimoniale ita ut «iudici opportune ostendat pericula haud rectae interpretationis, utens iure responsionis (can. 1603 par. 3)» (n. 12);

— post primam sententiam affirmativam nullitatis non tantum appellationem D.V. faciat sed eandem probet et clarificet ita ut in lucem veniant «insufficiëntiae probationum quibus fundatur vel earum interpretationis» n. 12).

Ioannes Paulus II in conclusione declarat functionem essentialem D.V. in processu canonico et, post considerationes praebitas, bene intelligi potest grave monitum quod S. Pontifex facit de morali responsabilitate D.V. in casu non fidelis et plenae absolutionis muneris proprii, cui omissioni aequiparanda est «praesentatio animadversionum tantummodo ritualium»: quae culpa moralis minime excusatur ratione ignorantiae quia in casu esset crassa cuius effectus idem semper est, i.e. «imminutio inveniendae veritatis» (n. 13).

Ex his adnotationibus mihi videtur iam in lucem venire momentum praesentis Allocutionis Ioannis Pauli II praesertim si eam una cum antecedenti Allocutione integramus. Neminem latet igitur in libera et necessaria discussione scientifica inter cultores scientiarum, minime posse oblivioni dari considerationes pontificales de hac materia: etiamsi affirmationes Pontificis non sint infallibiles, tamen dignae sunt attentione proportionata sive ad auctoritatem proponentis sive ad auctoritatem rationum propositarum.

GIUSEPPE VERSALDI